



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Item ex eodem. lxxix.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

qui hoc non ambitu, nec propria voluntate facit, sed aut via propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci, aut populi, non superbè, sed humiliter ab aliis translatus & inthronizatus est: quia homo videt in facie, Deus autem in corde. Et dominus per Prophetam loquitur, dicens: Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, nec mutat ciuitatem, qui non sua sponte, sed consilio & electione aliorum mutatur. Non igitur migrat de ciuitate ad ciuitatem, qui non auaritiæ causa spontè dimittit suam: sed, vt iam dictum est, aut pulsus à sua, aut necessitate coactus, aut electione, aut exhortatione sacerdotum & populorum translatus est ad alteram ciuitatem. Nam sicut episcopi habent potestatem ordinare regulariter episcopos, & reliquos sacerdotes: sic quoties utilitas, aut necessitas exposcerit, supradicto modo & mutare, & inthronizare potestatem habent.

*De eadem re. Cap. LXXVIII.*

**E**pisopus aut presbyter vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abiiciat. Si verò reiecerit, excommunicetur. Sed si perseuerauerit, deiciatur. *Ex cano. nibus a- posto.*

*Item ex eodem. Cap. LXXIX.*

**O**sius episcopus dixit: Non minus mala consuetudo, quàm perniciosa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat episcopo de ciuitate sua ad aliam transire ciuitatem. Manifesta est enim causa, pro qua hoc facere tentat: quum nullus in hac re inuentus sit episcopus, qui de maiore ciuitate ad minorem transfret. Vnde apparet auaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni seruire, & vt dominationes agant. Si omnibus placet, huiusmodi pernicies sæuius & austerius vindicetur, vt nec laicam communionem habeat qui talis est. Responderunt vniuersi: placet. *Ex cõcil. Sardicēsi. Cap. 1.*

*De episcopo qui in sua fuerit persecutus Ecclesia, quòd ad aliam ei sit fugiendum.*

*Cap. LXXX.*